



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 19. Transmigrationis difficultates describuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

mento &, ubi opus erat, indutâ qualicumque severitatis personâ, adfuit. Sancti Michaelis incolæ, paulò supra Conceptionis Immaculatæ coloniam, sedem novam fixere, quorum hoc anno ducenti & nonaginta-quinque adulti, & octoginta-novem infantes, loti sunt. Ex Theresianis Itapuan translati septingenti & nonaginta capita, ut aliorum oppidorum proventum fileam, Christiana facta sunt.

## CAPUT XIX.

Transmigrationis difficultates describuntur.

Oppida reedificantur.

Trecenta familiae reduciuntur.

Reliquie transmigratorum oppido includuntur.

**Q**UID potè in itinere sexaginta septuagintave leucarum, per sterilem solitudinem, in deducendis tot mortalibus omnium rerum egentissimis, Socii toleraverint, quia in omnibus ferè patia sunt, sigillatim enarrare superfedeo. Passim videre erat Socios ipsos infantibus succollare, qualescumque ciborum eupe-dias sibi demere, filios, quos in Christo genuerant, omnibus officiis procurare. Satis constat, his adjumentis duodecim circiter capitum millia sine gravi damno, desideratis in viâ pauculis, partim ad Paranam, partim ad Urvaicam concessisse. Quò ubi pervenere Socii, longè majori labore oppida reedificavere, quam olim in Tapensi Provinciâ construxerant. Præterea ad sementem tot mortalibus faciendam de novo, deturbatâ sylvæ, semina ingenti-difficultate conquisita, boves magnis expensis coempti, templa & ædificia constructa, aliæque præstita sunt, quæ reformandis coloniis opportuna videbantur. Post transmigrationem Augustinus Contreras, trans Igaim delatus, in destructorum oppidorum ruinis circiter trecentas familias, partim Ethnicorum, partim Neophytorum, collegit, non sine capitis periculo: nam cujusdam Neophyti temeritate, quasi clam cum Mamalucis colluderet, apud primores gentis suspiciosus redditus fuit. Sed Contreras sycophantæ calumnias explodens, rursus congregatam gentem, proditionis metu disparatam, prosperè conciliavit, reduxitque. Interim Provincialis animum adjeeit ad eorum populorum reliquias componendas, quæ ante sesquiannum Mamalucorum furorem evitantes, in Caaroënsi & Caalapaminiensi tractu constiterant: itaque rem ordinavit, ut Jesu-Marianorum partem Ibitiraquanis adjungeret, alteram verò partem cum Sancti Christophori, Sancti Caroli, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, residuis capitibus, trans Urvaicam, paulò supra Sancti Michaelis oppidum collocarent: ubi ædibus & templo constructis, sub nomine Sanctorum Martyrum Japoniæ (apud quos ego, quamvis tantâ exercitatione indignissimus, per multos annos elaboravi) hætenus feliciter persistunt.

## CAPUT XX.

Neophytis Europæa arma conceduntur.

Causa con-sidendi.

**I**NTER hæc Didacus Boroa Provincialis, ab Parana & Urvaicæ Casiquis rogatur, ut vellet imposterum consulere tot miserorum capitibus, furori hostium expositissimis, nisi bombardæ ferreæ concederentur: *Nam quomodo, inquebant, nos nudi contra armatos ferratosq;, aut suffulta vestimenta gerentes, preliabimur? quomodo nos arundineis sagittis, quorum ferè inutilis ictus est, tuebimur; si hostes ex longinquo sclopetis ignem plumbumq;, vomentibus, nos invadunt? dentur nobis equalia arma, & promemus animos hostibus pares, ostendemusq;, tantam nobis inesse vim ad defendendum uxores filiosq;, nostros, quanta Mamalucis ad mancipia conquirenda cupiditas inest.* Hæc Barbari. Sed longè graviores causæ movebant Provinciam, ut vellet conquirere indefensæ genti æqualia Mamalucis arma: nam satis apparebat nusquam hostes quieturos, donec omnem Americam Australem Indis evacuasent, timendumque erat, nî obuiam iretur, ne, ruptâ aliquando inter Lusitanos & Hispanos pace, in Peruviam ipsam infesta arma inferrent. Quare cum ex Hispaniâ magnorum virorum, Regias partes agentium, litteras recepisset, quibus monebatur, remedio miserimæ gentis & futuris rebus prævideret; omnem deinceps modum adhibuit, quo sclopeti impetraret. Quamvis igitur Prætores Regii civilesque Magistratus obtenderent, nullis adhuc Indis ob periculum rebellionis in Americâ concessum fuisse bombardarum usum, tamen perpensis rerum momentis, tandem in sententiâ Provincialis pedibus manibusque euntes eas concessere. Quam facultatem Senatus Chuquisacensis Regius, & adnrente Antonio Ruisio, amplissimo diplomate Rex Catholicus, magno Americæ Australis bono adprobavit. Igitur statim coemptæ confectæque bombardæ, eâ lege Neophytis permittæ sunt, ut ur-